



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XLIX. Sancti Patris Benedicti. M.C.LXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

TRansit ad aeternitatis gaudia ex hac lachrymarum valle sanctae memoriae Pater F. Joannes Picart, Galus, Cheminionis in Catalaunensi Diocesi, Monasterij Monachus, Vir ex omni genere Virtutum compositus, exemplar absolutissimae perfectionis. Hic à teneris unguiculis Deum diligere & toto corde quarere doctus, optimam Matrem, meliora suadentem libenter audijt & ad omnes se ejusdem nutus direxit. Hac de nocte, caelo sereniore, puerum extra aedes ducere solita, caelo stellisque commonstratis, illud A postoli identidem congeminavit: *Non habemus, fili, manentem hic civitatem, sed futuram inquirimus. Caelum respice, ibi patria nostra est. & illuc bene vivendo pergendum.* Meminit in omni vita verborum juvenis, & eam piae Matris adhortationem sibi plurimum ad studia virtutum consecranda profuisse, sapius deinceps affirmavit. Monasticum dein habitum in supra dicto Caenobio amplexus, dum minus ad amissimam sanctissimae Regulae omnia observari cernebat, ad altiora aspirans, inde pedes ad Majorem Carthusiam contendit, & quantum potuit precibus & lachrymis, ut susciperetur sollicitavit, nihil tamen obtinuit, quod R. P. Generalis ejus fervorem considerans, utilem & necessarium fore supra dicto Caenobio praevideret, ac proinde, ut in Ordine suo, ad aliorum aedificationem, perseveret, persuasum velle. Proinde bene monenti obsequutus & reversus, post Professionem, Parisios ad studia litteraria missus, ibi per aliquot annos in Collegio, Ordinis sacristam solide diligentem & solertem egit. Tum ad suum reversus Caenobium, & Prior electus maximis se statim meritis commendavit, & de Reformato sollicitus, opera & industria Reverendissimi Domini Abbatis sui Octavij Castellionis, sibi fideliter collaborantis, statum utrumque Monasterij tam in sacris, quam Oeconomicis, in integrum restituit, nullis fractus laboribus, nullis territus periculis, dissolutionis vitae Monachis ad alia loca translatis, à quibus non semel ad Mortem quaesitus, sed à Numine ad aliorum profectum servatus fuit. Mira omnino parsimonia & abstinen-

Joannes Picart Gallus.

Optima Matris Filius.

Prior sui Monasterij designatus.

Reformator meritissimus.

Infirmis ipsa sanuatur.

Edocla de luentibus in Purgatorio.

Sancta Regula Idea viva.

à Cellaria, alijsque ministris negligenter. Miranti nonnunquam clarissimae Dominae Ducissae, elegantiam & suavitatem fructuum pomorumque, Religiosis ad mensam sedentibus exhibitorum, & causanti haec cupedia parum poenitentiam professas decere: respondit Belluariensis, eas esse sorores suas, utpote Ancillas Christi & Sponsas, quibus vesci caelo lapsis dapibus, ipsisque Angelorum bellarijs haud indignum videretur, putrida peccatoribus & corrupta; justis, perfectis, Angelicis, munda & sana, eximiora denique & suaviora optanda & ministranda esse. Infirmis, manibus proprijs, famulabatur, ipsa infirmior, omni modis que earum saluti restituenda cavebat; rogatis saepe & adjuratis Medicis, Chyrgis & pharmacopolis, ut nullis sumptibus parcerent. Vestes sacras, sacros calices, ornamenta Ecclesiae, campanas ipsas suppetere adhuc, quo Sponsis Christi aegrotantibus secundum sanctam Regulam fieret satis. Constitutis in extremis nulla ope decrat diu notuque, ac si quando fato fungerentur, praeter preces & suffragia domestica, Missas, Communiones, Mortificationes, Peregrinationes varias, pro earumdem requie ab omnibus emendicabat amantissima Mater, unde etiam plerumque de statu subditarum in Purgatorio, & spatio, quo adhuc lustralibus incendijs crucianda erant, certior divinitus facta, in id unum incumberebat, ut quamprimum horrendis cruciatibus vindicarentur & eriperentur. Neque vero minori charitatis aestu, in vivas flagrans, incredibili animi & verborum lenitate, & comitate, omnibus juvandis, & ad profectum spiritualem provehendis intendebat; id curans maxime, ut plus amaretur, quam timeretur, quatenus hac innocentissima arte de omnibus bene merita, omnibus prodesse magis quam praesse satagere se demonstraret; utque convenienter Regulae vivere omnes efficacius moveret, ipsa vivam sanctae ipsius Regulae Jdaeam sese exhibebat, simplicioribus factis suis Sancti Patriarchae praecpta demonstrans, cunctisque non quod sequendum, sed quo sequendum, praevia exemplorum, morumque luce declararet. *Ex Authore citato.*

stinencia excelluit, & per quadraginta ferè annos, sub prætextu infirmitatis, qua laborare ex pulmonibus videbatur, austeram admodum sine carnibus, piscibus & saie, vitam vixit, solis ovis & pultibus insulsis victitando. Tanta erat fama ejus sanctitatis, ut ad eum obsessi à Cacodamone sive energumeni undique mitterentur, quos ipse dexterimè suis liberavit precibus, & à crudelissimo habitatore eximios meruit. Mortificationi sensuum & passionum suarum ita sedulo studuit; ut ne minimam quidem sensuum subreptionem in se inultam pateret, unde etiam ab omnibus illibatam ad mortem usque conservasse Virginitatem est creditum. Supremis demum quatuor Vita annis de superiorum licentia, secedens in cellulam seorsum ab alijs, continuam usque ad obitum, meditationis, orationis, Contemplationis exercitationem habuit, totusque in omne Virtutis studium incubuit. Sæpe visus est ab alienatis sensibus extra se raptus, & in celestibus absorptus, ita ut omnino quæ circa se agerentur ignoraret. Denique plenus dierum, Virtutum, ac meritorum, septuagenario major decessit hoc anno 1649. magno sui omnibus non Religiosis solum, sed secularibus relicto desiderio. *Ex vita ejusdem Msta. per Anonymum virum Religiosum.*

In Cacodamones potens.

Ad mortem præparatio.

Sanctè moritur.

Eodem anno 1649. die 5. Septembris, exemplum Benedicti Redivivi memorabile ad præmia æternitatis vocatur & Patri suo gloriosissimo jungitur, Bernardus natione Anglus Monachus Casinensis, Vir magnificæ sanctitatis Taliacozi in Samnitibus defunctus; cujus sacrum corpus quiescit in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani Monialium Benedictinarum, cujus gesta dignissima immortalitate promissa expectamus. *Ex monim. Casin. Casimirus Vincent.*

Catharina Angelica Aurelian. fit Abbatisa Malodunensis.

Incredibili Religiosarum in Sancti Petri Remensis luctu, Serenissima Catharina Angelica earumdem Abbatissâ meritissima, Aurelianensis Ducissâ ipsis eripitur, & invita licet; ad instantiam parentis Henrici Ducis de Longeville, ac jussu Regis, ad Abbatiam Malodunensem transfertur. De ea sic sæpè citatus scriptor: *Nihil Angelicâ magis Angelicum: Angelus erat moribus, puritate, humilitate, lenitate, administratione: omnibus auxilio erat & solatio: Angelo*

similis; imo Cænobij ipsius Angelus, &c. quod, brevi licet regimine multis tamen modis egregiè demeruit, & Basilicam in primis S. Petri, egregijs donis & ornamentis instruxit, aliaque inter Crucifixi imaginem cum sex candelabris argenteis confici curavit, uti & statuam argenteam cum pretiosissimis Reliquijs felicissimæ Christi Hospitæ S. Marthæ, omnium Monastici Ordinis Sacrarum Virginum Antesignanæ & Archiducissæ. Obtulit & vasa duodecim argentea, singula quinque selibrarum, & sportas quatuor ex argento, cû pelvi argentea, mirificum suum erga DEI cultum studium varijs alijs ornamentis contestata. Solata mœrorem ex Angelicâ recessu, alia Angelica illius non minus Virtute, quàm nomine amula, Illustrissima Margarita Angelica Bethunensis, è Monasterio Pontis Dominarum, sacra Reformationis nostræ Cisterciensis postulata Maximiliani Francisci de Bethune Comitis Orvalensis, Equitis Ordinis Regij & Reginae Annæ Aulæ supremi Præfecti filia; ingenti quamprimum pompa & solemnitate ab Ill. mo Janone, sive Simone Le Gras Sueslionensi Præsule consecrata; multis quamprimum jactata fluctibus, & igne tribulationum probata, cum varijs bellorum motibus, villæ omnes & prædia Cænobij pessundarentur, ipsâ omnia plus quam Heroico animo superante, & DEUM in omnibus glorificante. *Ex Monim. S. Petri Remensis.*

Angelica Bethunensis fuit in S. Petri Remensi.

Etsi vix ullum esse tota Germania, alicujus famæ & nominis Cænobium existimem, quod hoc ipso tempore, mihi non præbere possit Encomij alicujus argumentum, super unius vel plurium sui gremij Ascetarum, vita perfectiore; quia tamen operosum hoc nimium esset, & fortè humilitatis studio, à nonnullis de industria tacendum, non possum tamen, quin pro exemplo saltem, trium eodem patre, ac matre fratrum, etsi annis differentium, instituto tamen vitæ, & perfectionis non tam studio quàm exercitio, gemellorum, pro sexcentis alijs meminerim. Fuerunt hi Altorffenses patria, è pago quem aliàs Weingarten ab Imperiali ejusdem nominis Cænobio appellant, PP. FF. Joannes, Placidus & Modestus, Spiesij cognomento. Ipsos parens

Nullo Monasterium non singularia exempla habet.

Tres non magis carne quàm spiritu germani fratres.

parens malè confcius, violatorum sapius Jurium Monasterij præfati, sed ferio pœnitens & facta detestatus, cum extremum decumberet mancipia perpetua Sacrosancto lateris Christi SANGUINI ibidè asservato, solemni donatione, atque ultima Voluntate devovit atque obrulit, successu comprobatae felicitatis, siquidem tanti virtus Sanguinis, in innocentibus statim visa sit mirè operari, unanimi omnes singulosque sensu rapiens unius ejusdemque Ordinis complectendi, & eidem Spiritui cui S. P. N. BENEDICTUS servivit servienti, cum deinceps in ipsèdem BENEDICTI REDIVIVI, spiritus per omnia viguisse appareret. Major natu Joannes ubi pater spiritum exhalavit, sancti propoliti in Monasterio Vinearum, alter filius Ochsenhusij, tertius ad S. Galli Benedictinā omnes Regulam solemniter professi, omnes omnium, qui noverant, confessione tales, in quibus S. P. N. BENEDICTI spiritus vere sibi habitaculum elegerit, & verò etiam ex quovis magnis seise & miris signis prodiderit. Noyi omnes ex facie, senio-rem ex corde, cujus secreta etiam conscientia sanctissime expiata noveram. Sancta omnium apud suos collegas memoria, & quam nemo satis possit celebrare & commemorare. Et sanè in pueris etiamnum nihil non perenni memoria dignum, cum jam tunc nihil in eis puerile, sed senectus, minimè annorum computata numero, se proderet. Adolescentia in studijs ita innocenter exacta ut adolescentum miracula essent: litterarum pari & Virtutum profectu. Virilis ætas viros ostendit, nulla jactantia virium seu prudentia, sed in ardua omnia exquirendarum Virtutum omnium admirabili prorsus Generositate. Natu minimum omnis generis in Cænobio munia exercuere, per omnia sibi constantem semper Modestum non solum sed modestissimum, ubi vis, ubi vis utilem, ubi vis, ut sacri vocamus, exemplarem. Medium re & nomine Placidum, Ochsenhusij & semper comprobavit, Oeconomū & Priorem per omnia virum utrobis sanctū, utrobis magnum & incomparabilem æstimavit; & mirabile prorsus, qualiter Magdalena cum Marthæ partibus, & negotiis junxerit, quorum altero Cænobio mira, felicitate & dexteritate

consultuit, altero toti etiamnum orbi, & suo imprimis Ordini, edito Meditationum ferventissimarum opere, consulere pergit, verè ambidexter, non doctis solum & Doctoribus accensendus, sed etiam Martyribus, dum rebus Cænobij DEO sacris advigilaturus, nihil non periculi constanti animo subijt, sed & vitæ discrimen lubens libens subijt ab hostibus horrendum in modum tractatus, dum supinum in terras abjectum succo sterquilini, salva aurium Venia, ingurgitarent, & ad vomitum usque impleto, calcibus & toto corporis pondere insultarent, ipso semper paratissimo ulteriora pro sancta Romana Ecclesia pati, suamque pro Christo vitam prodigere. Joannes natu maximus, juxta nomen Gratiam sibi à puero datam in omni vita prodidit, quam ita egit & exegit, ut nisi pro sacro tribunali sedens peccatoribus aures præberet, quibus juvandis se totum expendit, semper cum Angelis versari videretur. Ipsi à primis tyrocinijs sacri annis illud Lucae 19. semper in aure resonavit & corde: *Negotiamini dum venio*, quod juvenis aggressus, sedulo prosequutus in omni vita tanquam proprium habuit, & fidelissimum Domino suo negotiatorem egit, morem mercatorum solertissimorum imitatus, dū, ut erat Arithmetices peritissimus, in omnem sacri lucris rationem intentus, utrum proficeret deficeretque indefinibili bonorum operum & cogitationū computo, ad certos quotidie numeros referret; non alio fine, quam ut si fortè fortuna, oscitantia quādam superveniente, solertia proposito non responderet, proxima die compensaret; solitus, nisi alias manus necessario impedirentur, semper rosarium sacrum manu tractare, & grana continuo adnumerare, inde Rosaria in numeros trahere, mente jugiter sacris lucris intenta; & in Virtutum exercitia, & jaculatorias preces effusa, ita ut nunquam non occupatissimum, nisi fortè à prandio in rebus Mathematicis deprehenderes, pro modica & utili etiam animi distractione. Adverti quandoque cum post gravissimum, desperatā à medicis valetudine morbum convalesceret, nonnihil, & debilis etiamnum, suum ex Ordine & consuetudine munus, in ministrando ad mensam Confratribus,

O o

Hujus mo-
vii a.

Martyribus
accensendus.

P. Joannē
observatum
in omni
vii a.

Lucris sa-
cris inten-
tissimus.

P. F. Joannes
Spieß
Weingart-
ensis.

A puero
sanctitatis
specimen
praefertens.

R. P. Modestus
Asceta
S. Galli.

R. P. Placidus
in
Ochsen-
hausens.

exequi conarentur, inter rosarium tractare, labia movere, & cum inde recidivam metuerem, obnixè rogare cœpi, & pro meo in ipsum & ipsius conscientiam jure, etiam conjurare, ne se ita perditum iret; sed capiti & fluctuanti adhuc valetudini parceret; suppliciter deprecantem prius non exaudij, quàm modum & morem mihi penitus exercitij explicaret, & explanaret: confessus se unicâ, cui inservierat canâ, bis mille ni fallor, certè mille & septingentos Virtutum actus exercuisse, & his ita suaviter asuetum, ut si prohibeatur, magis videatur valetudini obtutus esse, tantopere eo se exercitio recreari, & excitari. Ita & in Breviario suo, qua valebat, manu elegantissima ad versum quemcunque cujuscunque psalmi notulas subtiles 6. octo, decem adscripserat, totidem actuum diversarum virtutum indices & concitatrices, quarum se nullam in recitando Divino Officio præterire, mihi est factus, ita, ut simile quid, in aliquot millium, quæ scripsi, vitâ & elogijs, non meminerim me ulpiam reperisse. Habuit & alios manu propria quàm elegantissimè scriptos, piarum exercitationum & precationum libellos, vir spiritalibus rebus torus absorptus, ex cujus colloquijs colligere debui multorum absolutos corpore animos, ad precum ejus suffragia confugisse; de cujus Religiosissimi corporis exuvijs, apud me depositis (quievit siquidem sanctissima obdormitione Veldkirchij in Domino) tanquam magno thesauro dives, mihi plurimum gratulor; nec dubito animum certum in caelis habere advocatum & Patronum. Reliquit & alia subtilis ingenij monumenta, Mathematica in primis, quæ omnia ad Majorem Creatoris cognitionem & laudem referebat.

Insigne ejusdem exercitium.

Memorabilis Virtutum exercendarum praxi.

Moritur felicissimè in Veldkirch.

V. Aloysius Carassa.

Naufragij vicus.

Ad varia tractus munera sibi semper constans sanctæ memoriæ Aloysij Princeps Carassa, admirandis ubivis se commendat meritis, sydus revera singulare nostræ ætatis. Factus Abbas in Sicilia ex Obedientia, & quidem in Monasterio S. Flavie de Catalavascetto, dum se mari committeret, adeo horribili jactatus est tempestate, ut naucleus ipse, & se & omnes perditos exclamaret, Aloysio interim toto Divino-

rum contemplatione absorpto, & quasi dulci è somno clamoribus aliorum excitato, imperterrito tamen, & omnes optimè sperare jubente & in stellam maris Deiparam confidere, moxque ad Litanias Magnæ Virginis provolutus in genua inchoaverat; ecce tanta vis ejus orationis fuit, ut navis illa quam primum ad tria millia extra periculum poneretur; quo inaudito miraculo viso, cum ad pedes ejus omnes advolverentur, ut oscula ejusdem fingerent, prohibuit, Deoque ac Deiparæ gratias agere jussit. Claruit varijs miraculis vivus & mortuus, quæ inter Domina de Piano oculorum lumine orba, aqua quâ manus laverat, oculis illitâ visum recepit. Fuit & Prophetico Spiritu à Numine illustratus quo varia prævidit prædixitque, cujuscumque plura in Vita ejusdem Neapoli typis excusa leguntur. Deiparæ fuit longè amantissimus, à qua varias etiam gratias accepit. Cæcæ monibus autem odiosissimus, diversimodè tentatus victor semper extitit; & ab ejusdem crudelissimè cæcus ac vulneratus, ipsâ patientiâ triumphavit, Martyrum procul dubio numero accensus, & merito donatus; etsi in seipsum non minus ipse crudelis esset, ita ut vita ejus merum Martyrium videretur, etiam cum ægra esset valetudine, de consueto rigore nihil prætermittens. Inter Sacrificandum, alterum Philippum Nerium, & Franciscum de Sales egit. Nec dubium, cum Vesuvius Mons flammis horrendum exarsceret, & extrema Neapoli minaretur, plurimum Aloysij preces potuisse, cum hyberno tempore nudipes cum Religiosis suis ad diversas Ecclesias Processionem, ut sacri vocamus, institueret, ac dein domum reversis nimiumque frigidatis ipse calidâ pedes ablueret; Verbo dicamus: in omni actione nihil non summæ humilitatis præferret, & egregiæ sanctitatis signis claresceret.

Ex Vita.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. L. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXX.

EXporrigit se denuo in Indias & novum usque Orbem nostrorum meritum, quem etsi longè remotissimum suâ assequuti & complexi charitate, magnis sese meritis commendaverunt. Ex his hoc ipso anno, post egregia

Prodigijs natu translati.

Varia miracula.

Prophetia spiritus.

Cæcæ monibus in insula.

Inge Martyrium.

Supplicia in insula.